



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Parallela Geographiae Veteris Et Novae**

Parallela Geographica Italiae Veteris Et Novae

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1649**

Nvm. 3. De Hernicis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13120**

runt infra Volscos, ubi dicti sunt Aurunci; sic enim disertè Seruius ad 7. Æneidos; *Aurunci Græcis Ausones nominantur: & apud Macrobius & Agellium pro Ausonibus appellantur Aurunci. Sed rem conficit Tzetzes ex Dione Cocceiano; Ausonia propria Auruncorum vocatur terra inter Campanos, & Volscos ad mare sita. Porro de nomine Auruncorum antiqui profus tacent.*

FINES AVRUNCORVM sunt, ab Oriente Mons Massicus supra Sueffam Auruncam; à Septentrione & Occidente hinc linea deuens ad Terracinam; à Meridie pars Inferimarum.

N V M. 3. De Hernicis.

NOMEN & ORIGO. Dicti sunt à Saxis quæ incolebant; nam Marsicâ & Sabinâ linguâ *Herna* significant *Saxa*, sic Festus & Seruius: Macrobius tamen eorum nomen ab Hernico quodam Pelasgo deduxit, quem Ætolum fuisse suspicatur, quia deinceps gens illa vno pede nudo ad bellum procedebat.

Initio Historiæ Romanæ semper distinguuntur à Latinis, & origine Sabini ex voce fati intelliguntur: tumque apud Dionys. Halic. dicuntur gens valida, bellicosa, & fortis; sed tandem in Latij fines nomenque transferunt.

FINES: à Septentrione Marsis, & Æquis coniunguntur, ab Oriente, Meridie, Occidente Volscis ambiuntur.

N V M. 4. De Aequis, seu Aequiculis.

NOMEN & ORIGO. Variis modis eorum effertur nomen, nam & dicuntur Æqui, & Æquicoli, & Æquani *αἰχμοί*, & Æquiculi, & Equicoli, apud Diodorum Siculum Æcli, & Æcicli. Vox autem illa *Cole*, & *Coli* innuit eos agris colendis vacasse; vnde Virgilius ad eorum nomen videtur allusisse dum cecinit 7. Æneidos,  
— *duris Aequicula glebis.*

Sub initium Historiæ Romanæ à Latinis distinguuntur, vt apud Liuium lib. 3. dicuntur *agrum Latinum inuasisse*, & paulò post *in Latino castra possuisse*: item *vexatos excursionibus Aequorum Latinos*; igitur Latini non erant, sed victi, subiugati, attriti Latio accensi sunt, vt testatur Strabo lib. 5. & apud Florum lib. 1. cap. 11. *Pertinacissimi Latinorum dicuntur fuisse Aequi, & Volsci.*